
...gius

...Pauli Ant. Corona fontis beneficii

CORONA
FONTIS BENEFICI
CORONAMENTO
VIRTUTUM MERITORUM ET SAPIENTIÆ
PERILLVSTRIS & REVERENDISSIMI DOMINI
D. REMIGII SVSZYCKI
Juris Utriusq; Doctoris,
ARCHIDIACONI
Cathedralis Cracoviensis, Scholastici
Lancicensis, Custodis Kielcensis &c:
S, R. M. Secretarij.
ad primum HONORIS ARCHIDIACONALIS aditū
Principe in Urbe ac in Coronato Vavello
SVPERPOSITA
& inter festivos gestientis Cathedræ Cracoviēsis plausus
testificandæ gratitudinis & Honoris Causâ
officiosissimâ Venerationis pennâ
à
M. PAVLO ANTONIO CYBVLSKI
in Alma Vniversitate Cracoviensi Philosophiæ Doctore, ac intereà in Lubransciano Accademiæ Posnaniensis Collegio Grammatices Professore
Luci publicæ
PRÆSENTATA
Anno Coronati in Carne Verbi 170 3. die 2. Junij.

Typis Academiæ Posnaniensis.

JN STEMMA
PERILLUSTRIS & REVERENDISSIMI
DOMINI



Trina coronato concessa, corona Vavello
Sufficeret meritum, cingere prona Caput.
Sed si permittes frontem sub jura quaternæ
Nectet munificæ, conscia dextra manûs.
Flos alius non concedet, nisi Lilia florem
Lilia, quæ Ceris Chloris amica fovet.

CORONA
FONTIS BENEFICI

NOva accessio Honoris, quam pridem magnæ merebantur virtutes, toti pervulgata Poloniæ, propiùs Arctois Syderibus; admotum Tuorum Beneficiorum stipendiarium, admonuit, ut se ampliorem erigat in spem, Te in Regali Vasello maiorem adoraturus *PERILLVSTRIS & REVERENDISSIME DOMINE ARCHIDIACONE* Pridem ea Cælis admovi vota quæ Te Honorum culmine Cælis admoverent, & Tuis Meritis paribûs substratîs Fastigiîs, Te eum ostentarent Orbi, qualem consensus omnium volebat. Et mehercule sic propitia Votis affulsere, ut felicitatem meam non capiam, & me ipsum circumspectem, penè elinguem ad jura gratulationis; qui ad superos facundus evincebam Te Curulibus. Non fatiganda equidem erant pertinaciter Superum pulvinaria, Cui tam benigna fuerant: vt nostra vota, communia desideria,

omni-

omnium consensus præverterent. Frustra Nostris se oppugnari irridebant precibûs, quæ, absq; anxia hominum de Te existimatione, ipsa Tuis amica meritis, in Tuas Virtutes propendebant, quibus præmeditata Fastigia, rebûs Commodîs, substernerent. Hîs auspicibûs, illo in *Culmine* Regum, certior jam fulges Cynosura, & post damnata Præsulum in umbras lumina, Tu dispergis radios, ut appellentes sacratiori portorio modereris. Quid? si hæc virtutum dignatio, pridem Oculi quæ derivavit metaphoram, nunc totius luminis indueretur Majestate: certè nunquam meritorum excederet mensuram, sed consona illorum magnitudini talem Te demonstraret, qualem videri oporteret, At quia in hac luminum exuberantia, adhuc luci impar pupilla prorsus cæcutiret, aliò inflexit mentem, direxit gratitudinem, totumq; conantis ingenij molimen traduxit. Pulchrum equidem in lumine versari, Icarium tamen est, ne surgentis animi pennæ calentiore circumfusæ luce, totô mergantur Oceanô, & sæculis cladis suæ ignominiosa relinquant nomina. Extinguam fontibus lucem, ut tamen ambitiosi superfulgeant, Coronîs erigam. In his commodiùs navigabit gratitudo, & illam influet in mentem, quæ arbitra non moritura liberalitatis, obæratam inscripsit posteritati. Romanum est: bene mereri de fontibus beneficis, erigere circumjacentem cespitem Coronîs, & undis strepentibus Coronarias imponere habenas. Invenit gratitudo in illa æterna Urbe, Festa, omnibûsq; virtutibûs eminens, Coronata habebatur. Inter Lupercalia, Saturnalia, & sexcenta superstitiosorum sacrorum Nomina, Fontinalia erant: in his læta juventus, effusa plebs, Virginum dimissa

mode-

modeſtia, accurrens plaudendo, fontibus ſertâ, Coronas ſuperponebat. Jllam ſitim extinctam undis gratitudine redimebat, illa urentis ſolis tædia Fontium auxiliô lenita, floribûs compenſabat. ſequor Romanorum morem, & licèt gratulationi obſtrepam gratitudine, commodiùs illam non potui inducere, quam inter hos ſacri Honoris plauſus. Alius aliô Titulô in Vavellum pergentia comitabitur merita, illa pulchra Encomij fronte attollens, eîs induet eam faciem, quam ventura mirabitur poſteritas. Ego ſiccam tenuitatem meam fontibûs rigábo, ut tamen Coronamento meritorum inferam obligatus æs meum, Coronas impoſiturus nectâ. Hic mihi exorandus es, ut pauperem ſuadæ meæ cenſum admittas in ditiſſimi æraria ingenij. Si Corona apta non cenſebitur Capiti, ſaltim Oculo dignare. Rudem laborem, nec exquiſitam induſtriam, Coronarium opus hoc habet, fateor: Te tamen ipſa vis ſummæ eloquentiæ obſtringit adſtrepenti tenuitati parcere, triumphabo alibi, ſi Tu obeliſcos ſtatues.

Aliter merita redimi non poterant, Antiquitatis ut obſervavit non iniqua virtuti ſors, niſi rotundô Coronarum munere, aptâ ſcilicet omnium, quæ ad plauſum hominum agebantur, comprehenſione. Ad hoc centrũ omne reſpiciebat aptum virtuti, cogitatio, cura, exercitamenta, ſtrenui doctiq; laboris, huius ambitus capta illiciô, omne arduum ſuperare, difficile enodare, curabant. modo poſt defuncti laboris ſupremas vices deſideratus apex caput erigeret. Quid non auſa eſt mortalitas? hujus præmij allecta ſuperbâ æſtimatione, quos illa non eluſit gladios? quæ non vicit pericula! cum omnibus

B ferè

ferè elementis depugnabat his periculis superstes tantùm supra populi capita cornutô vertice emineret. Cum tanta agerent homines cupidi coronari, post adorata Imperatorum Regumq; diademata, omnia, quæ ad augendam Rempublicam militiamq; spectabant, coronîs industria regnatrix adornavit, rem strenuè modo agerent, quibus vis fortior eam impressit mentem, quæ deprimi difficilis anhela tumescere. Quamcunq; itaq; verteres Te olim in partem coronîs instabas, sertîs imminebas. Mare, terra, ubiq; periculorum strues, coronarum fecundissima, ibi Rostrales, hîc Gramineæ, nec satis? addita Civica, ostensa muralis, data vallaris, præfixa triumphalis. Boni superi! quibûs stimulîs virtutes agebantur, ne hebesceret acies fortitudinis, tot proposita, ob oculos versabantur præmia, puderet usq; ingenuum gloriosa non agere! Erant; qui ad commendationem tumentis, Cerarum Paternarum imaginibus, atrij, numerosas cum Manlio Murales Civicasq; producebant coronas. Ibant Valerij Decijq; aureâ superbi, & oculîs, Romanæ Indolis lumine virtuti concessô iritatîs, in similes gloriæ labores animum accendebant. Sic gestorum omnium coronis, in antiqua memoria corona. Transijt à militaribus præmijs cum alia translatione ad Musas, etiam coronarum desiderium: hinc doctæ frontium hæderæ, Doctorum inumbrant Capita; ut literarij laboris, amica hæc arbor, & intacta fulminibus exsiccet calidos sudores, appensaq;, index sit approbatæ scientiæ. Multa antiquæ gloriæ simulacra in coronis produxi, virosq; pro Coronis strenuè agentes aliqua in parte ostendi, non tamen ea antiquitatem teneat ambitio, ut sola coronata, spernat posteritatis

tis

tis sortem Quanquam emarcuêre jam Gramineæ, fractæ Rostratæ, Murales ruderibus cōminutæ, cum Roma simul rerū ostentatrice harum, corruêre. Non inopiâ meritorum, sed quia fragilem hanc gloriam, nec die, victuram Antiquitati reliquimus propriam, nunc solidè agere, stipendia mereri in castris virtutum eximium; coronîs non augeri, serta non quærere, majus in nostra ætate est: quàm accipere. Novit virile ferreumq; sæculum istud, majora illîs gerere sæculîs, attolli tamen non cupit, quod major nunc sit plausus, triumphos despicere. Si non sic neglectæ haberentur apud nos virtutes disceres imminens posteritas (lege tamen forsitan, cum socordiæ nostræ reprehensione) plures nos habuisse Fabios quàm Cæsares avidos triumphorum. Irent alij Civicîs, alij gramineîs, alij triumphalibûs sublimes, & quorum procul à vulneribus pectora Musarum laureîs onusti, Tuam admirationem penè obruerent. Inter hæc sæcula gloriam despicientia unum Caput plenum Coronis, in lucem posteritatis eveham, sic gratitudo, sic merita decrevere.

Et ne avidam sciendi cum oculo mentem sustentem. Tu Sidus meum, Tu Præsidium! Magne virtutum adminiculô, doctrinæ sublimitate, scriptorum gloriâ ARCHIDIACONE vicisti Antiquorum temporum admissam fidem, obligasti posterorum. Cùm leget monumenta Tua orbis, quibus Tu ô raram virtutem! subtraxisti Nomen, jam Te lauream, cùm legationis Munera, jam Civicas, cùm omnium affectus Tibi devictos, jam triumphales emeruisse decernet, Planius ut discat, res mihi est, longiùs ea agendi, quæ Tu non uni sæculo sciēda destinasti. A capite ad calcem decurrat jam Oratio ubiq; Te coronaturum

turum adoratura.

Jam Te Superi in primo exoriẽtis, flore ætatis, coronæ admovebant, cum Reginam scientiæ Polonæ, Magistram haberes, Regum Nobilitatam insignibûs, in Cuius sinu crescunt laureæ dignis destinandæ verticibus. Alebas spem, erigebasq; cum studio animum, totoq; nisu conatu & sudoribûs laurum sertumq; anhelabas. Jllas noctes vigilî superatas pupillâ, testor Hesperum, auroramq; eodem supercilio visam. Legendo consumptæ noctes, discendo prostrata incommoda, excerpendo elusa sidera, non somnus, non iners otium fallebat ætatem, per augmenta studiorum, per gradus scientiarum terebatur deducebaturq? juventus. Quæquæ involuta difficultas, ut offendit animum, illi immorari, illam utramq; versare in partem, perspicere, indagare, ortus, processus, & affinitates, ac tandem patente manu reserare, implexam evolvere, magnæ Jndoli consuetum fuerat. Arduus sanè commento Pòëtarum & multorum experimento tendentium, Parnassus ille! ita detumuit Tibi, ut planitiem videreris terere non culmina. Intricati incõnstantesq; fluctus Euripi, jucundè Tuam fluxêre in mentem, omne profundũ investigatum, omne altum superatum, intra Te erat, quidquid hæc æstuans rixîs scientia comprehendit. Per hæc rerum difficillima, natasti ad fortunatas Laurearum insulas, totîs Evrippó Hipocreneq; rigasti frontem pulchriùs laurea efflorescerent. Alijs sufficeret puteum fodere, & primîs labrîs libare fontem, Tibi ad magna destinato, toto perlui, omni immergi, fundum tenere, gloriosum optimumq; videbatur. Objecerit superciliosus Cato Fulvio, parcis laboribus militum addicere laureas?

Tuos

Tuos si strenuos morosū illud superciliū videret sudores, totā denudaret arborem, Te dignè laureatū Orbi ostendisset. Quam felicitatē sibi relictam gratulatur Regia Universitas, illa Te laurô investijt, illa Doctorem dixit. Non suppressit honorariô virtutis frenô, majora animi molimina, illa umbra doctæ hederæ, accendit ingenium sublimium cogitationum facibûs. Certè non tetigit otij fulmen Te, eliminatum vî sacræ arboris, summis laboribus reliquit locum in Te. Tota sæculorum lustrata fides: misisti in Romanam originem oculos, in Græcorum gesta, in Orbis Historiam, anni, viri, Heròés. Imperiorum Regnorumq; vices, in oculis, in ore, ceu superstites vivunt. Omnia ferè præterita venturaq; sæcula vitâ comprehendisti, illis interes legendo, his intereris legendus. Vivet obsidio Visnicensis Sandecensisq; & post obsidionales coronas, annorum complectetur. Ex Te discet posteritas Polonorum constantiam, illud stratagemma ingeniosius Troianô elusum hostem Equô, eliminatum arce, vinctū comprehensumq;. Fidem superum! quàm res adæquatæ verbis? quam sui etiam inerrant dictioni doli? Quidquid ibi scriptum, plenum succô, sanguine vividum, nervis colligatum gestit animus prædidicere: canescet seclîs innumerabilibûs. Vicina Historiæ & ferè germana Politicorum prudentia, ex insidijs in Campum Electoralem, abs Te nuper producta, etsi obvoluta facie prodijt, famâ tamen acceptum est, Minervam hanc Te Iove progenitam. Qui plausus accepit scriptum illud, quæ acclamationes comprobavêre? in Te versi omnium oculi, Tibi obnitenti & latenti addicta fama, & licet non legebatur superbè appensum fronti Nomen, Tu ta-

men

men Auctor Parensq́;dicebaris. His geminis scientijs adstant libri carminum patriô idiomate effusi, nobiliori popularium Poëtarum choro Te inserunt. Ibis Castior Kochanovijs, quietior Tuardovijs, Coetaneo major Kochovio. Injucundos eliminasti sales, lituos eiecisti, Cælum, omneq; sacratius, metrô colligasti: dignus pro tam pio Pöëmatum genere, ipso sacratioris Minervæ gestari pectore. Spectaret Te abutentium Entheô Pöëtarum animi, propior esset Cælo Parnassus: uno eminens culmine, utroq; cælos tangeret, verèq; dici posset mons ille Parthenius si virginei Pöëtæ (qualis Tu in secunda parte apparuisti) sui montis juga ascenderent. Unū forsitan posteritas accusabit: quod quærere indagareq; Auctoris nomen debebit. Libera enim nec adscriptitia Domino monumenta, oculos lucemq; invasêre. Legent posteri, ferentq; ad sidera felicissimi ingenij partus, infelices tamen sibi videbuntur; quod frustrati Auctore, huius sæculi clara Nomina computantes, disceptabunt de nomine. Sed quid ego queror suppressa in fronte Nomina! clarum erit Te Parentem Tuorum scriptorum. Curent alij sollicitè posteritatem, religiosèq; se fateantur Auctores: Tibi à suppresso Nomine major gloria. Quam modestia sibi detraxit famam, illam reluctanti non intermoritura appendet gloria, non sine laudum additamento. Mille laureas ferte Gratiæ, Herculei in arena Minervæ labores, docti sudores, hîs debent redimi coronîs. Orbe Polono cohibere Tuam scientiam nolebas (quanquam prævertit Te abeuntem) Italiam, nidum scientiarum, Romam, theatrum stupendorum adijsti. Quem Tu ruborem incusisti extraneo Soli, constantiâ, quam admirationē

exte-

exteræ ſapientiæ, ſcientiâ, patet ad ſtuporem Poloniæ, cum elogijs comitatus Patrios lares reviſiſti. Ne Te abſq; decoris munere dimitteret illarum Pallas Gentium, coronatô laureis vertice, Doctorem Divæ Aſtreæ dixit. Nihil juſtiùs rectiusq; Roma dare Tibi poterat, quam lancem: ut & meritorum *Tuorum* pondera, & illius præmium ad ſtateram exigeres. Fovebit illa inſcriptum *Tuum* nomen, ſuæ felicitatis argumentum habitura, Te feliciſſimô. Exercuiſti conceſſum Tibi ab illa munus, toties ſuffectus Tribunali Judex, quoties apprehendiſti faſces illos, toties ab ipſa laudatus Iuſtitia, elatus ſub ſidera ab afflictis, regrediebaris. Meliores *Tibi* vovebant dies, indictis ſibi; Te tutelare rerum ſuarum Numen, *Te* propitiæ inter turbines Iuris, *fortunæ*, authorem appellabant. Iure hîc Civicas accipere non dedignabaris Coronas, pro ſervatis Civibus, pro ſarta tectaq; afflictorum fortuna.

Si in Civicis nulla placentiâ eſt, Regales addam. Nuper Regnantis Polo noſtro, Jovîs, complexus affectu, omnem in *Te* vertiſti admirationem populi, aulæ ſuſpicientis decora viroſq;. Tu unus electus in Regno hoc, cui Divûm ſanguis erudiendus, magnô omnium plauſu commiſſus, Te adeò gentibus venerabilem oſtendit, ut à Tua manu, diſciplinaq; Reges expectarent. Licet invidia expectanti deſiderio nubem impoſuerit, ex Te omina capiuntur, quanti illi futuri ſunt, quos *Tu* non privatæ, ſed Regali erudiebas fortunæ. Jllud Poematium geminis inſcriptum Sideribus, repete revolvendum, magnô omine illuſtre, *Tuam* adhuc expectationem aliorumq; ſuſtentare non vanè poterit. Promittis Paterna decora, ijſdem tamen fatis, per quæ PA-

 TER

TER ſupra homines apparuit. Servet *Te* illa fortuna ſuperſtitem, apud quam aſſervâtur ornamenta attollentia mortales, ibis ſublimior, *Tuam* felicitatem, *Tua* omina, *Teq;* ipſum non capiens. Quã felicitatem Chiron in Achille, quas victorias in Alexandro Ariſtoteles, eſt cum ſui admiratus amore, hæc *Tu* omina *Tuis* poteris videre tenereq; in Sideribus. Hæc *Tibi* Regalem poſſent componere coronam, quam *Tu* deſiderio votoq; nectens etiam à gratitudine recuſas imponendam. Sufficiet JOANNIS III. Regis, ſupra memoriam hominum, circumdari amore, attoli judiciô, & illi placuiſſe: ad cujus ſupercilium Aſtra riſêre, victoriæ ſtetere, triumphi erubuêre. Hac *Tu* Regalis judicij ſublatus felicitate, omnem ferè ſuperaſti: infrà Te eſt, quidquid ab alijs in *Te* effuſum collatumq;. Quò enim eminentiùs Reges tolluntur, eo ampliùs & ſublimiùs de alijs, ab illa ſpecula, judicant. Poſt magni Regis effusè in *Te* promanantem amorem, ſublimes à Primatiali ſede vertiſti in *Te* oculos: ut nullum penè fuerit in Polonia Culmen, in quo *Tuus* amor, fama, eruditio, non nidificaret. Genius ille *Tuus* ſupra populum ire natus, faſtigiîs imminere, ſublimibûs gaudere, ſolenne habet. Non crevit *Tibi* fama in ore populi, ſed Magnatum: & nemo *Tui* gloriam Orbi prædicavit, niſi adorata à fama Orbeq; Nomina. Meſſuêre Olſzanoviæ Falces ſibi in Coronam LILIA *Tua*, cum *Tu* cothurnatâ loquendi ſtructurâ, illam æternam adornares laudem, quæ Magni Principis æſtimata judiciô, totam Poloniam in *Tui* excivit admirationem: ut omnes Curules *Te* ſuum Plinium cuperent. Pretium Załuſciani velleris Jaſoni deſiderabilis, in *Tui* admirationem propêdens,

qua

qua illustrari cuperet Plinius, attolli Pacatus, eam Nomini *Tuo* accendit gloriam. Verùm nemo justiùs rariusq; *Te* admiratus est, quam illud Astreæ Decus exemplorum, Vir Markiewicz, Canonicus *Cracoviensis*: illô judiciô, quô Orbis admirationem tenuit, Te adscivit in sui affectus penetralia, illa sapientiâ, qua Romana Subsellia implevit, *Te* in summam gloriam crescentem complexus est. Prævidit nempè Juris ille verendus arbiter Tuæ famæ radios, quibûs in *Te* post fata relucere contendit avidissimus. Et nondum ne post tot Magnorum Præsulũ, Virorumq; triumphatos affectus, triumphales accipies coronas?

Morantem me in decoribus meritisq; Tuis, avidissimè ad se trahunt honores. Et ut publicam felicitatem non sileam, Te inter decora adscitum Nobilitatis omnis sibi gratulabatur Polonia. Tuo LILIO aucta stemmata amæniùs risêre, & Campus Poloniæ se se circumspiciens totum se in Tui Floris cõtemplationem impendit. Loquentur seri *Annales*, æternæ Legum nostrarum tabulæ, Tuas virtutes coronatas stemmatum Majestate, esseq; literas curæ Poloniæ, post Władysławovios, Cromeros, ex *Te* colliget futurorum curiositas, vel potiùs admiratio. Impendisti pro publica circa Te ornandum Patriæ sollicitudine vitam ferè; ad Moschorum Principem LEGATUS. Jovis illius severa supercilia, humanitatis Tuæ intuitu, adeo serenasti, ut rigorem illum arcticum exueret. Magis ille in Tui admiratione, quam sui Cæli sæviente hyeme obriguit, Teq; intuitus, Magni Regis Majestatem, Reipublicæ libertatem mirabatur. Gavisa est Patria *Legato*. Omnia enim quæ injuncta habebas, sic gloriosè perfecisti,

ut ad normam exemplarq; Tuæ Legationis aliorũ exactura sit. Publica hæc, sed cum tempore abeuntia, si munus spectes, si merita, æterna, alij honorũ excepêre fasces. Omnium Te Honorum avidè expectabant Curules, ast ultroneos aliorum aditus limine Tuo arcebas, alios qui modestiæ videbantur capessendi, prehendisti. Pater esse nolebas Patre Patriæ decernente, illud Pedum Tiaramq; multis sudoribus alijs emptã, ipsius Honoris indignatione recusasti; invenit in Te ambitiosum sæculum, raram, & superiori ætate tantum amatam virtutem. Plures modestia *Tua*, in se vertit oculos abjectô Honore: quam vertisset susceptô. *Infra* pedes Fastigium hoc positum, Vavello *Te* desiderabilem ostendit, per calcata culmina, ascendisti montem Regium, postq; incussum spretis honoribus ruborem, muricem induisti. *Quæ* Te vota secuta plaudentium! omnium Eruditorum applausus, literatorum acclamationes, sic Tibi insonuêre, ut, suam æstimationem in Te præmiari, gauderent. Jn hoc Fastigio, Divis assiduus operabaris, cum Apolline *Tuo* ridebas, publica subibas munera & illam grandem scientiam dispergebas. Nullus eruditorum plausus, quem non *Tu* attolleres superciliô, nullum in Universitate ingenium, quod non adamares, palamq; laudares. Credo eruditos piosq; Musiałowicij Clarissimi ævo nostro Pòëtæ commoveri nunc cineres, & illo Pierio spiritu musitantes Tibi aggratulari, ad illius adfectꝰ, amorisq; redimenda pretia! Vixisset utinam! Te ille grandiloquô ore posteritati caneret, *Te* magnifica fictionis involutum nube imponeret Parnasso, ostris insereret. Habe apertè omnium de *Te* opiniones, cunctorum sensus, & vota. Omne Eruditorum

rum

rum agmen, omnis quem Apollo percussit, Te Vâvello altiorem optabat, hæc continua vota, hæc suspiria. Qvanquam sine anxia nostrûm apprecatione crevisses: tamen pulchrum merita desideriô coronari, & priùs judiciô efferri, quam calculô comprobari. Evectus es suffragiô Meritorum, votô omnium ad ARCHIDIACONATUS Fastigium, ipsæ Te virtutes tulêre, ipsa eruditio comitabatur. Videre videor (hoc enim tantum est absentium) exusta Regum Palatia, suum è ruderibus ostentare decus, lumen vibrare è favilla, *Tuis* amicum consonumq; luminibus. *Te* circum Cleri coronam tendentis ad Aras, studia, totam deniq; Diæcesim Tuæ, post Pastoralem curam, ostentari vigilantiæ. Omnia hæc omniũ desideria redimes non frustraneâ de Te spe, plura efficies quam quisq; concipere de *Te* poterit. *Redibit* in sacras *æ*des suus decor, ad Aras fulgor, ad *Clerum* pietas; quo tantum vigilem feres pupillam, omne ornamentum dignum Cælo, dignum Numine inferes. Solis naturâ: cuius lumina Orbe dispersa: augustiorẽ reddunt Orbis faciem; pulchriùs Tuas ostentabis virtutes, quicunq; tollet oculos, ad Tui exemplar se componet. Vt enim ad Principum normam, Regna se componunt, sic ad *Te* Ministrorum *Principem* totius Cleri conversa lumina, à *Te* derivabunt exempla, à Te rectioris vitæ discent specimina. Submittes dignos Pastores Ecclesijs' *Curæ* animarum Curatores, ad Tui examinis probati ignem, moribûs, scientiâ, adhortatione aris meliores imminebunt. Plura *Tu* faciendo conficies, quam ego scribendo complectar, posteritati scienda, stupendaq;. Metire *Te* ipsum? quam omne Honorum culmen implesti meritîs, non *Te* magnũ Honores, sed *Tu* Honores effecisti. Hi ge

sti gerendiq; Honores, quib9 Te Coronis destinant: prehendisti probatæ scientiæ arguměto laureas, pro afflictis in Tribunali Tibi commisso, pro Civibus in Legatione Moschovitica servatis, Civicas, pro triũphatis magnorum Virorum affectibus, triumphales, nunc pro strenuè gloriosèq; sustentatis honoribus gemmeas aureasq; capesse. Et licet (quæ modestia Tua est) dedigneris, Tibi invito trinæ Coronæ arridens, Te suum ARCHIDIACONVM salutãt, in Tuo sinu Capiteq; ferri gestiunt. His ego Fontē Te mihi beneficum redimio, Tuis beneficijs crevi ad laureas, ingessiq; doctæ huic arbori caput, quid pro coronarijs beneficijs reddere debueram, nisi Coronas munus quidem grande ipso nomine, sed manu offerentis vile, non enim ea adornatum specie ut cupit onerari. Addes Tu illi pondus, ipsum Nomen Tuum unionum fulgores sustinebit, merita: solidiùs adamãtibus relucebunt, & quod gratitudo *ægrè* comparare potuit diadema, Tibi ipsi ex Te ipso conficies.

Infinitum quidem est coronarum decus, & Tua merita adeò exuberantia, ut ægrè finem recipiant: attamen nolo vellere modestiam Tuam, & tenuitatem meam frangere termino dictionē non vota. Te Superi longævum Cælo servent: Te diu terris serenum foveant, & inter sua pulvinaria, inter Aras & Templa ARCHIDIACONUM prospiciant. Postquam multa agendo memoriam mortalium fatigaveris, & ipsa meritorum Corona, jam terræ gravis apparueris, Te omni ex parte beatum recipiant. Vota sunt omnium rectè afflictæ Diœcesi optantium, ut fessa mortalitate Præsulum, Tuo vultu sustineatur, Tuô serenô adspectu firmetur. Cum proximè accedas ad Episcopalis curæ societatem, necesse ut illis fatorum necessitate absentibus, eam subministres frontem, quam viventibus accepit, vel se speravit accepturam. Ego longo terrarum tractu situq; disjunctus vota superis feram, ut hoc omnia, quæ gratus dictavit animus, firment. Si alio non placui rudis Coronæ Tuæ artifex, saltim hac obligationis meæ tessera placeam. Dixi.